



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De redemptione vnus hebdomadæ quam in pane & aqua ieiunare debet.
xviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De redemptione vnius hebdomadae quam in pane & aqua ieiunare debet. Cap. XVIII.

PRO vna hebdomada quam in pane & aqua ieiunare debet, CCC. Psalmos genibus flexis in ecclesia decantet. Si autem hoc facere non potest, tria Psalteria in Ecclesia, vel in loco conuenienti intentè decantet. Et postquam psallerit, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quicquid velit. *Ex eodē.*

De redemptione vnius mensis, quem in pane & aqua ieiunare debet. Cap. XIX.

PRO vno mense quem in pane & aqua ieiunare debet, *Ex eodē.* Psalmos mille ducentos genibus flexis decantet.

SIAUTEM hoc facere non potest, sine genuflexione sedendo, aut stando in Ecclesia si fieri potest: Sin autem, in vno loco, mille DC. octoginta Psalmos decant. Et omni die si velit, & si abstinere non vult, reficiat se ad sextam nisi quartam feriam, & sextam, ieiunet ad nonam. Et à carne, & à sagimine, & à vino, totum mensem se abstineat. Alium autem cibum postquam Psalmos supradictos decantauerit, sumat. Isto ordine, totus ille annus redimendus est. *Ex eodē.*

De illis qui ieiunare non possunt, & Psalmos nesciunt, quomodo poenitentiam vnius anni quem in pane & aqua ieiunare debent redimere possint. Caput XX.

QVIVERO Psalmos non nouit, & ieiunare non potest, *Ex eodē.* PRO vno anno quem in pane & aqua poenitere debet, det pauperibus in eleemosynam vigintiduos solidos, & omnes sextas ferias ieiunet, in pane & aqua. Et tres quadragesimas, id est, quadraginta dies ante Pascha, & quadraginta dies ante festiuitatē sancti Ioannis Baptiste, & si ante festiuitatē aliquid remanserit, post adimpleat, & quadraginta dies ante Natalem dñi, in istis tribus quadragesimis, quicquid suo ori preparatur in cibo, vel in potu, vel cuiuscunq; generis sit, istud aestimet quanti precij sit, vel esse possit, & medietatem illius precij distribuat in eleemosynam pauperibus & assiduè oret, & roget Deum vt oratio eius, & eius eleemosynæ apud Deum acceptabiles sint.